



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

39 Voto castitatis astrictus, si postea matrimonium contrahat, an debitum petere possit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

si fueris non sit illatio, l. Papinianus. ff. de minor. cap. ad audientiam, de decim. Confessarius, qui solum votum viri tute sublati commutare potuit, poenas incurfas ob violationem prius votum condonare, aut relaxare non potuit. Nec quicquam vouenti prodest, quod sublato voto quod fuit principale, sublata etiam censetur praedicta poena soluendi elemosinas, tanquam accessorium quid ad votum illud seruandum, ex eo. s. quod accessorium naturam sui principalis sequi solet, c. accessorium de reg. iur. in 6. quia tunc solum accessorium sui principalis naturam sequi censetur, quando ratio eadem in utroque militat, non quando diuersa: Arg. cap. debitorum, & c. conting. de iure iur. & quando accessorium sine suo principali consentire nequit, cum itaque obligatio ad poenam soluendam, sine voto consistere queat, post votum solum, vel dispensatione sublaturum, vt palam est, proinde in casu dicto sublato voto, poenam accessoriam prius incurfam minime sublaturam esse censeri debet.

DECISIO XXXVI.

Ex cons. 2. in Nouis, deest in antiquis.

Voti obligationem, licet iracundia quae vsum rationis non sustulit, vitare non censetur, Arg. c. dudum. de conuersio. coniug. neque magna perturbatio, etiam ex iniusto timore, vel amore procedens, cap. 1. & ibi Pan. de voto. Nau. in Man. c. 12. num. 24. & 77. iustam tamen causam petendi dispensationem vel commutationem in Praetorio sacrae poenitentiae praebet.

DECISIO XXXVII.

Ex cons. 10. in Nouis, deest in antiquis.

Irans, vel vouens etiam per iram religionem intrare cum intentione actuali non intrandi eam, etsi ad intrandum non tenetur, si tamen intentionem contrariam non habuit, neque intentionem actualem intrandi ad intrandum obligatur: Quia non debet de se praesumere, quod noluit tam grauiter peierare, vt volendo intrare, iuraret se intraturum, sed quod saltem per iram intrare voluerit. Arg. cap. qui tacet de reg. iur. in 6. Cum inter consentum, & dissentium dari non possit medium.

DECISIO XXXVIII.

Ex cons. 12. in Nouis, deest in antiquis.

Vouens non commiserit mulieri, quam falso suam cognatam esse putauit, votum illud seruare non tenetur, si tunc ea mente fuerit, quod si veritatem sciuisset, non vouisset; secus autem si tunc ea mente erat, quod vouisset etiam si eam cognatam sibi non esse sciuisset. Quia ignorantia qualitatis a peccato qualificato excusat, si sit causa peccati, alias minime.

DECISIO XXXIX.

Ex cons. 17. in Nouis, deest in antiquis.

Voto seu iuramento castitatis, seu religionis ingrediendae stricta, si postea nupsit, & consummavit, non tenetur a viro petere, vt ei liceat dicta vota adimplere mortuo autem marito votum adimplere tenetur: si tamen propter aetatem, consuetudinem, vel aliam causam hoc ei difficile sit, melius est vt dispensationem, relaxationem, seu commutationem a sede Apostolica petat.

DECISIO XL.

Ex cons. 21. in Nouis, deest in antiquis.

Vouens ingredi certam religionem seu certum monasterium, si in eo non recipiatur, liber manet, si autem vouit ingredi religionem in genere, repulsus ab aliquibus, liber non est, sed vt in alijs recipiatur, tentare tenetur admissus autem ad habitum in aliqua, si postea ei ciatur vel ipse exeat, voto satisfecisse censetur: sicut & is, qui cu certum monasterium ingredi vouisset, post habitum in eo assumptum exit, vel ei ciatur, nec aliud ingredi tenetur sed matrimonium cura conscientia contrahere potest. Angel. vet. votum. 3. s. 11. Caiet. 2. 2. q. 189. art. 3. Nau. in Man. c. 12. num. 48. Sin autem vouisset in genere profiteri, aut in religione perseverare, per solam habitus assumptionem

non liberatur, sed exiens, vel eiectus, vt in alia ad habitum, & professionem recipiatur, tentare obligatur. Vouens autem fieri religiosus, in dubio ingredi ad probandum, non autem profiteri, aut perseverare, vouisse censetur, ita Caiet. 2. 2. q. 189. art. 4.

DECISIO XLI.

Ex cons. 37. in Nouis, deest in antiquis.

Subdiaconatus ordo Sacramentum est a Christo institutum, eique votum castitatis annexum est, quod matrimonium postea contractum irritat: c. 1. qui cler. vel vouent. Ex causa tamen Papa, non solum cum tali sed etiam cum Monacho professo, vt uxorem ducat, dispensare ualet, Arg. cap. cuncta per mundum. 9. q. 3. Nauar. in Man. cap. 12. num. 25. quandoquidem solemnitas voti, ex qua dictum impedimentum oritur, non iure diuino, sed humano probatur inducta. cap. 1. de voto in 6. Nec Papa sic dispensando facit, ut manente voto, & uoti obligatione, non teneatur uouens illud observare; si d. ex causa, ut potest, facit ut haec uoti materia non sit, prout fit etiam quando relaxantur iuramenta.

DECISIO XLII.

Ex cons. 39. in Nouis, deest in antiquis.

Subdiacono, qui publice ordinem suscepit, vt uxorem ducat, non est concedendum ex ea solum causa, quod ordinem, cum esset diues, dolo consanguineorum putans se pauperem, inductus suscepit.

DECISIO XLIII.

Ex cons. 14. in Nouis, deest in antiquis.

Via uotum de intranda certa religione duo in se continet, unum de religione intranda, cuius dispensatio soli Papae reseruatur; alterum de intranda hac religione, quod nulli Papae reseruatum est: sicut etiam & professio certae religionis duo continet, unum quod per eam fit religiosus, super quo solus Papa dispensat; alterum, quod fit religiosus illius ordinis, super quo alij praetati dispensare possunt, ut ad strictiorem uel aequalem transire queat: consequenter cum uouente intrare certam religionem, alius quam Papa dispensare ualet, ut liceat ei aequalem, uel strictiorem intrare, immo etiam & laxiorem; eo quod aliud est dispensare, ne qui uouit religionem in genere, uel in specie ad unam intrandam teneatur, quod cum sit dispensatio super uoto religionis, Papae reseruatum est; aliud autem quod uouens unam religionem intret aliam quod cum sit dispensare solum super uoto de transseundo ad aliam religionem, nulli Papae est reseruatum ex Caiet. 2. 2. q. 8. art. 8.

DECISIO XLIV.

Ex cons. 43. in Nouis, deest in antiquis.

Vouens suscipere sacros ordines quauis non habeat beneficium, nec patrimonium, ad cuius titulum ordinetur, nec doctrinam sufficientem, uxorem ducere nequit, nisi factus sit incapax doctrinae sufficientis, aut prudentis arbitrio iudicetur ei impossibile, ut beneficium, uel patrimonium acquirat.

DECISIO XLV.

Votum religionis ingrediendae collationem beneficij ei postea factam ante professionem, non annullat, sicut nec matrimonium post uotum religionis contractum annullatur, cap. Nos nouimus. 17. q. 2.

TITVLVS XXVIII.

De statu Monachorum.

SVMMA RIVM.

- 1 Religionem ingresso non proficenti, vel abeunti donata restituntur.
- 2 Benedictio Abbatis non est iterabilis.

3 Mona-